[Lange, Reiner]

Nr. 325]

Pax. Christi.

(Lange?)

Quæ scripseram de disciplina Reinere dilectissime, ita prudenti quodam silentio præteriisti, ut non temere existimem, aut tibi non probarj negotium quod mandaveram, aut te mejs ad calcem usq; nondum perlectis literis respondisse. Habet nonnihil tadij scholastica et similis oratio: Et si nonnunquam bonorum quoq; animi obstrepentibus dubitationibus debilitantur. At ego certo persuasus sum nihil interuenire posse, quod te à nobis alienum reddat, non potes de gradu benevolentiæ dejecj quin supra omnes tuos æquales eminentis. Quamobrem sic statuo, legisse quidem meas litterulas et perlegisse, sed meæ in versu libertatis cogitatione retentum ad divulgandas diserta disciplinæ odiosas querimonias accedere nolluisse. Atq; hoc equidem non molestè fero. Quid enim apud Nouercam queratur misera? quin maneat potius intra meum, in latebris, in pulvere, in squalore. Tuas Theses in quibus bonarum artium laudabile Tyrocinium edidisti, et legi ipse studiosius, et cum alijs eruditioribus communicaui, pertinent scilicet nonnihil illæ, ad purgandam mej nominis famam, cuj nuper in senatu objectum fuit. Peruersam hanc nostram scholasticæ institutionis rationem nihil tot annorum spatio exclusisse, præter unum et item alterum carminificem siue versificatorem. O seculum ingratum et infacetum, Etsi enim copiosæ frugis prouentum Academiæ cum laude efferunt, nos tamen illaudati Agricolæ in spargendis artium seminibus laborioso ac non inutili munere perfuncti sumus. Fundamenta latent (ait Quintilianus) fastigia spectantur. Quod ad me illas nihil examinandas superuacaneum est. Habes isthic alios Aristarchos, id quod in ipsa disputatione te credo largiter compensse. In tanta occurrentium copia consistere tuo loco vix potuisses, scio: Nisi Copianum ipsum Præsidem ac Propugnatorem habuisses, facilior tibi fuit euauigatio cum in puppi sederet Ipsys, nempe vir summus in arte gubernandi (ita enim dialectices nihil enim Sutor dicam nisi de crepida) multa erant in quibus ingenij tui limen offenderes: Ab Rami præceptorum reprehensione mallem temperasses. Quid facient alieni, si Ramus à suis feriatur. Debet esse in artium præceptionibus aliquid certi et constituti, quod non temere conuellendum est, ne semper fluctuent discentes, dum qui docent (ut est in Satyra) Cadunt, mixq; vicem præbent sua crura sagittis. Nec enim ab humano ingenio quidquam excogitari potest adeo absolutum ut in disputationem venire non soleat, et labefactari arguendo. Subjectum et adjunctum Ramus habet in consentaneis, quia se utrinque arguunt affirmando, quod quidem disentaneis, quatenus disident, attribuj non potest. Sum autem ut

prima

et absoluta ~~est~~ necessitudo est causa cum suis causatis, ut Parenti enim liberis: Ita secundari
quædam consensio est subjecto cum suis adjunctis, ut Regnero Bremensi cum suis virtutibus ac
notioribus, quas diu multumque agendo, discendoque comparauit, quæ etsi ad essentiam non faciunt
Sunt enim τῶν συμβεβηκότων: Aspirant tamen ad causarum perfectionem quodam modo
Consuetudo enim altera quædam natura est, suntque fontes multorum bonorum privata et effectri-
ces pulcherrimarum actionum. Demus igitur hoc Gallo tam præclare de studijs nos pri me-
ritò, non enim vitiosè subjectum quodam modo consentanea nominasse. Sed ista valeant. Tibi
gratulor qui nouum Magistri titulum sis consecutus, Deumque precor, ut deinceps suo spiritu te
stabilial, et ab omni malo tueatur. fiat. Vale Bremæ 14 Octob. Anno 1579 In tribulatione
animique anxietate. Tuus olim præceptor

Joh. Molanvs. (M. 326)

[=Noct. a. 13= M. 13]

Pax Christi. [An imbecillitas]

Superioribus diebus egregie Adolescens meum animum tuæ accuratæ litteræ vero gaudio
delibutum reddiderunt. Cognoui enim ex eis, quod vehementer avebam cognoscere. Talem te esse in
eo munere ad quod non sine Dei prouidentia, nuper adscitus es, qualem et Dominus Doctor futurum ex-
spectauerat, et ego mea fide futurum spopondi. Nihil est difficilius quam isti, quam nactus es, provin-
ciæ satisfacere: At rursus nihil est tam arduum, quod fidelis labor non superet atque constantia.
Scilicet ita comparatum videbam esse tuum generosum animum, tunc cum ad me scriberetur Epis tola,
atque illud ~~illud~~ erat quod me magna mi tuis litteris voluptate ~~exhilarat~~ affecit. Cum enim cognorim
Clarissimi Doct. Liberos præstantibus ingenijs non infeliciter hactenus institutos: Gaudebam magno-
pere meopte hortatu, eos adeptos esse eum cultorem, qui diligentia, et fide vel cum Hillebrando pària
facere posset. Quid quod Doctor ipse mi tua custodia acquiescens, ut liberis suis gratulabatur, ita mihi
gratias agebat. Scripserunt interea tibi quidam ambitiosi et Leves Adolescentuli, quos iam pridem
tædium cepit rerum nostrarum, qui deserta Schola nostra, Iuris et Legum intelligentiam Bremæ
consectari voluerunt, illotis (quod aiunt) manibus, rem arduam molientes. Ab illis te quoque mihi hanc
sententiam nunc tum esse video, ut præ illis Maorum rubricis Puerorum crepundijs similia existimes
mi quibus Bremæ hactenus non mis irenice laboras ti. At ego arbitrabar et te et illos res perquam utiles
mi hac palæstra percepisse, in ultimam usque senectutem duraturas. Sed esto, nihil sit magnum præter
leges, et jura et curiam. Quandoquidem hæc una est optima summi nunc via processus. Videndum est
tamen quo quisque [illegible] Dominus: quid ferat cuiusque ingenium et fortuna. Non cuivis bimarem
contingit adire Corinthum. Laudat eos Christi Apostolus qui quidquid hominum Judicio
magnum est, fugiunt, ad res humiles quidem illas, sed non ingratas Deo, animum facileratq-
plicantes. Cui igitur dilecte Juvenis cur te hujus pœniteat mistituti? in quo cum ad
breue tempus, fidem atque industriam tuam optimo cuique approbaveris: Magis tenebes tua matu-
ritate hunc factu gradu, ad altiora studia transferre, Deus, qui temporum dispensator est, et
suas cuique ætates præscribit. Condidit enim nos ad bona opera eaque singulatim præparavit,
ut in iisdem ambulemus, daturus tibi est hunc animum et hanc mentem (ut confido) hunc animum
saltem ut in isto ministerio virum te præbeas, neque obstinatum propositum, ullis adversitatibus
debilitari, franguique patiaris. Eo pacto et famæ nostræ consuluëris. Neque tuis progressibus quic-
detraxeris, et Doctori spatium dederis inveniendi successorem. Festinent alij atque in Academia
Tui tuique consistes loco, si mihi quidquam credis, animo tranquillo, et æquo legitimam Dei Patris
Cælestis vocationem exspectabis vale 16 Februari 1580 Bremæ in ipsa schola cum Sbema
pararent nostræ classis Pueri, eoque mihi vacatio esset à Lectione Tui studiosissi
Die salutem Clariss. Doct Mollero cui proxime scribam Joh. Molanus ~~suus~~
~~valet~~ si Deus volet, et conjugem honestiss. cum elegantissimis liberis Me salutat